

liam venit; Genuam, amplam ac præpotentem civitatem, ad maritimos apparatus valde opportunam, ad se attraxit; Clemente Pontifice sibi adjuncto, ut Mediceos ejectos, atque exules in patriam restitueret, ingentibus copiis Florentiam adortus, annua obsidione devictam Florentinorum Rempublicam labefactavit, ac potius extinxit, Hetruscorumque viribus, prout sibi libet, nullo repugnante, utitur. Francisco, Insubrum Duce, vita functo, ad Mediolanense imperium animum adiecit; atque ut vanis cunctos promissis deluderet, fœdere vobiscum iuncto, quo Italum Principem Insubribus daturum persancte polliceretur, adversus pacta fœdera retinet. Quid de Senensibus dicam, quorum intestinis dissidiis aditum sibi ad eam urbem in suam potestatem redigendam patefecit? Itaque Neapolitano regno Genuam, Insubres, Hetruriam adjunxit, nulloque obistente, ad eam potentiam pervenit, quæ Italis cunctis formidolosa habetur. Quonam vasto spiritu, incredibili regnandi libidine elatus contenderet, dum victor ex Africa, Tuneto superato, reverteretur, patuisset, nisi Franciscus Galliarum Rex, generosa, ac vera animi virtute incitatus, Italiamque miseratus, Carolo, magnis in Subalpinis missis copiis, obstitisset. Qua ex re cum Galliarum regnum, Italiæ veluti firmissimum propugnaculum, oppositum animadverteret, eoque incolumi, nihil sibi de Italia subigenda sperandum sciret, omnia consilia, & vires ad Galliæ exitium conferre statuit. Inde præpotenti exercitibus regnum illud est aggressus; modo induciarum, modo pacis specie hostium vehementiores ad bellum conatus restringere nixus est; ut interim ea cessatione ad arma majori impetu sumenda expeditior, ac fortior evaderet; tantumque potuit, ut tandem Henricum Britannie Regem, & quod vix credi posset, Germanicæ ferocissimæ gentis vires sibi adsciverit, quibus innixus denuo in Galliam impetum facit; ferrum in reipublicæ christianæ viscera adigit; Italiæ firmamentum, commune omnium, qui illius potentiam perhorrescunt, præsidium quatit. At vos quibus hæc oculis intueri potestis? An non illud vobis persuasum est, dum Cæsar Gallias invadit, Italiæ, ac præsertim Venetæ Reipublicæ minari? Nisi forte ignoratis, Imperatores, uti sibi subjectos reliquos Principes censere, tantumque sibi potentiæ, & majestatis detrabi, quantum reliquis

vel